

In primis namque prefati reverendi in Christo Patres domini Quinqueecclesiensis et Zagrabiensis episcopi, cum quibus ut supra erat dominus Johanes Dominici de Postoch nominibus quibus supra ex parte una et prefati domini Zacharias Contareno, Johanes Gradonico et Michael Mauroceno nominibus quibus supra ex altera. Sibi invicem mutuo et vicissim remiserunt omnes injurias, rancores, hodia, offensas, incendia, homicidia, furta, rapinas, cedes, predas et alias quascumque et cujuscumque generis offensiones et dapna realia et personalia illatas et illata pro una ipsarum partium contra aliam seu alteram contra reliqua, seu terras, universitates, gentes, subditos, seu singularer personas, adherentes, vallitores et sequaces ipsarum parcium et cujuslibet earum, vel inter eas per eas vel contra eas toto tempore preterito usque in presentem diem et omnes penas et interesse, in quibus per presentem guerram vel aliqua hinc retro inter dictas partes facta vel commissa fuisset incursum, facientes dicte partes dictis nominibus de predictis omnibus et singulis sibi invicem et vicissim finem, quietacionem, omnimodam liberacionem et pacta de ulterius non petendo. Ac se vicissim et mutuo liberantes per acceptillationem et aquilianam stipulationem vobis solempnibus et legitimis interpositis. Promittentes sibi invicem et vicissim, quod occasionibus supradictis nulla in perpetuum lis, causa, molestia, controversia, vel requisitio fiet, vel movebitur per aliquam ipsarum partium, terras, universitates, gentes, subditos, vel singulares personas subditas ipsarum partium contra alteram partem, terras, universitates, gentes, subditos, vel singulares personas subditas ipsarum seu adherentes et sequaces ipsarum parcium, vel alterius earum in judicio vel extra, de jure vel de facto. Et non obstantibus predictis dicte partes inter se mutuo et vicissim, nominibus quibus supra, firmaverunt bonam et veram pacem deo propitio perpetuis temporibus inviolabiliter duraturam. Item fuit actum inter dictas partes quod omnes et singuli captivi, carcerati, et detempti partium predictarum et cujuslibet ipsarum ac subditi ipsarum ubicumque sint, et penes quemcumque